

progreſſo ad reliquos menſium dies, literam dominicalem A. conſtituo, ut in eodem anno Domini 1559. euidenter cernere licet.

A L I V D.

Iubeor inquirere literam Dominicalem ad annum Domini currentem 1600. Cum igitur eo anno Domini Cyclus Solaris obtineat 13. idq; per doctrinam ſuperiorem capitis 3. ingredior cum eo numero tabellam hic ad marginem annexam, iuxta quem, ad latus dextrum, duplicem literam dominicalem reperio. Vnde etiam annum propositum biſextilem eſſe patet. Sed priorem literam F. videlicet, vſq; ad diem dominicum, qui eſt proximior feſto Sancti Mathiæ pono. Poſtteriorem E. videlicet, reliquæ parti anni accommodo. Conſtitutio autem eius duplicis literæ Dominicalis è regione dierum menſium, ſibi competentium, ſic ſe habebit.

Litera do- minicalis.	Prior.	Dies.		Litera do- minicalis.	Prior.	Dies.		Litera do- minicalis.	Dies.	Posterior.
F		6.	} Ianu- arij.	F		3.	} Febru- arij.	E		2.
F		13.		F		10.		E		9.
F		20.		F		17.		E		16.
F		27.		F		24.		E		23.
								E		30, etc.)

DE INDICATIONE, AD  
quemlibet annum Domini curren-  
tem inueniendo.  
CAPVT V.

Cyclus Indictionalis, quindecim annos Phæbeos, aut tria luſtra continet. Apud Romanos quondam ea de cauſa vſus eius erat, ut ex noticia illius tributa Reipub: Romanæ debito tempore perſoluerentur. Huius cycli partes hodie adhuc literis pontificum, & id genus alijs instrumentis circa finem inferuntur. Cyclum autem Indictionalem, ſic deprehendes. Primum annis Domini currentibus 3. coniunge, (Nam Chriſtus Saluator Indictione tertia natus eſſe traditur) Deinde id aggregatum per 15. diuide. Quicquid autem facta diuifione prouenerit, integras reuolutiones cycli Indictionalis demonſtrat. Sed quicquid poſt diuifionem remanſerit, hoc pro Indictione retineto. Si nihil prorfus relinquetur, complementum totius cycli Indictionalis accipito, videlicet 15.

E X E M P L V M.

Volo inquirere Indictionem ad annum Domini currentem 1559. operorq; hoc modo. Anno Domini propoſito 1559. coniungo 3. & excreſcunt anni 1562. Id aggregatum annorum cum per 15. diuido, prodeunt per diuifionem 104. qui numerus tot integras reuolutiones cycli Indictionalis à natiuitate Chriſti eſſe completas oſtendit. Remanent verò poſt diuifionem 2. quem numerum pro Indictione pono, idq; ad annum Domini currentem 1559.

A L I V D.

Iubeor inueſtigare Indictionem ad annum Domini currentem 1572. Huic igitur anno Domini propoſito 3. addo, & conſtantur anni 1575. quos cum per 15. partior, proueniunt 105. Qui numerus tot reuolutiones cycli Indictionalis à natiuitate Chriſti eſſe tranſactas ſignificat. Nihil autem prorfus poſt diuifionem relinquitur. Accipio ergo complementum totius cycli Indictionalis, quod eſt 15. Hoc nanq; mihi Indictionem ad annum Domini propoſitum 1572. ſuppeditat.